



LECTIO PARÆNETICA,
SUPER OBITU, NUNQUAM SATIS DEPLORANDO,

**B. AUG. HERMANNI
FRANCKII,**

THEOLOGI DE ECCLESIA INCOM-
PARABILITER ATQUE IMMORTALI-
TER MERITI,

IN VERBA ESAIÆ LIII, II.

*EX LABORE ANIMÆ SUÆ VIDEBIT,
SATURABITUR.*

QUAM

IN ACADEMIA REG. FRIDERICIANA

a. MDCCXXXVII. d. XXV. Jul.

PUBLICÈ HABUIT

D. JOACH. JUSTUS BREITHAAPT, A. B.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
LITTERIS ORPHANOTROPHEI



LECTIO PARANETICA
SUPER ORITU, NUNQUAM SATIS DEPIORANDO
B. AUG. HERMANNI
FRANCKII
THEOLOGI DE ECCLESIA INCOM-
PARABILITER ATQUE IMMORTALI-
TER MERITI,
IN VERBA REGIAE LIII. II.
EX LABORE ANIMAE SUE NIDEBIT,
SAPUR ABITUR.
GOMM
IN ACADEMIA REG. FRIDERICIANA
A MDCCXXVII. A XXV. Jul.
PUBLICE INUIT
D. JOACH. JUSTI BREITHAUPT, A. B.
HABITUS MODERATIONIS
LITTERIS ORNAMENTOSIS





I. N. I. A.

P. P.

Redii ad vos, Auditores! atque iter hoc confeci
medios intra coetus utrinque *laborantium* in
mese hujus anni externa: nec non animad-
verti, plerosque agrestium, non inmemores
proventus olim parciore, agnoscere, & *vide-
re*, quod DEUS ipse presentem aetatem for-
tunarit singulariter; ac proinde ubertate ista, in sensus letos
sefe ingerente, *saturari* illos vehementer etiam atque etiam.
Equidem hinc cogitavi, sic quoque impleri adhuc naturaliter,
quod Propheta ESAIAS c. LIII, II. sublimiore sensu de Mes-
sia enunciat: *Ex labore anime sue, videbit, saturabitur.* Quorum
verborum mens si explicatione sit exhaurienda; quid non di-
cendum fuerit de CHRISTI laboribus, loco nostrum exant-
latis; quid non de anima Ejus, coram judicio & Dei & homi-
num, pro nobis laborante; quid non de *Redemptionis fructibus*,
quos toti humano generi acquisivit ita, ut abunde ipsos vide-
rit, videatque adeo, ut saturatus sit iis, & saturetur in
aeternum?

Enim vero hujusmodi contemplatio *Exegetica* plus requi-
rit temporis; ad quod, ei impendendum, ipsa merito differtur:
nos jam meminimus ante omnia, quod multa de *Ecclesie*
Capite praedicentur, quae CAPUT in suis pariter *membris* exsequi
velit. Quo in primis pertinet, quicquid de Messia laboribus,
& *strictius & latius*, eo legimus pacto, ut istos *meritorie* quidem
unus & solus pro omnibus plenissime praestiterit, semel; atque
expleverit; *imitatorie* autem quosdam, & agendo & patiundo,
tanquam *residuos* debeant spectare, & praecipuos sibi, quicun-
que membra Eiusdem vera existunt: sive hac *integrantia* modo,

sive *administrantia* simul videantur, ut loquimur in Scholis. Col. I, 24, 25.

Quid plura? ecquis est tam vecordis animi, ut nesciat, quale CHRISTI DOMINI ac CAPITIS nostri fuerit membrum, immo sit hodiernum in sinu Abrahæ ac Paradiso, B. AUG. HERM. FRANCKIUS, Professor & Pastor nuper defunctus, hæc de Academia & Ecclesia quam meritissimus? Tam vividum omnino fuit, tam operosum, tam fructuosum, ut, si nulla adessent alia rei testimonia, quæ infinita sunt, de ipsis *Lectionibus* Ejus *Paræneticis*, quæ ingens studiis Theologicis attulerunt emolumentum, in promptu sint vestra audientium subsellia, una cum hac cathedra, quæ toties ob docentis paræneticum ardorem stupefacta est, contra quemvis negantem, vel dubitantem, usquequaque clamatura. Quo minus mirandum, me una jam parænesi redigere in memoriam vobis, tam quid debeatur beatissimo paræneticarum lectionum Autori, quam, quibus de partibus sint Ejus, non dico fastigia, sed vestigia saltem in laborando, exploratissima & manifesta, vobis ad recolendum, sequendum, imitandum, proposita & proponenda.

Verum enim vero, propter horæ angustiam, vela contrahimus; agentes, (1) de sine laboris Theologici: (2) de labore ipso.

Causa finalis in Textu Prophetico exprimitur, & *præpositione*, & notatione *fructuum*. Præpositio sic habet, cum nomine, cui præfixa est: *ἕνεκεν*, ob seu propter laborem; Lutherus, DARVMB, *dass seine Seele gearbeitet hat*. Quæ quidem satis recte: sed majorem tamen emphasin præbet versio Sebastiani SCHMIDII, habentis: *Ex labore animæ suæ*. Hæc etenim significatio connotat *influxum*, quo influxu labor spiritualis fructus consequentes gignat proferatque. Atque hi fructus quum tales addantur, qui vocabulis contineantur per *ἀφ᾽ ἑδρον* appositis, *videbitis, saturabitur*; (optime Lutherus, *Er Wird seine Lust sehen, und die Fülle haben*) conspicuum inde fit planissime, quomodo isti fluant ex eodem spiritu, quo laborabatur: non aliter, quum Apostolus *analogice* contendit, Rom. VIII, II, *propter inhabitantem Spiritum Dei in fidelibus, fore, ut Spiritus Christi resuscitati corpora ipsorum etiam vivificent*.

Sic ergo apud Filium Dei ab æterno constitutum erat, se, futurum hominem, toto animæ nisu laboraturum, idcirco, ut tandem aliquando lætitia, de mortalibus redemptis, fatiaretur. Hunc finem Is deinceps, *caro factus*, adeo secum firmaverat, ut ad extremam *Exinanitionis* sortem delatus, in solenni *Passione* ac *Morte* sitam, & hujus ipsius & *Resurrectionis* salutaris, destinatae sibi fato immutabili, forciter recordaretur. Quum
viro

vero idem *οὐκ ἔσθω* in eo tandem esset miseriae, ultro susceptae, statu, quo inductus *crucis* horrendae poculum ab humana sua natura deprecaretur; illico eadem anima sua revocavit se ad voluntatem Divinam, *videns*, seu intuens, laetiora consequutura: quibus etiam, tanquam scopo optimo, *saturatum* se confestim erigebat, utens deinde hac voce; *Ego an calicem non bibam*, tamen si horrore ac contemtu refertissimum, *calicem donatum ab Aeterno Patre*, ad victoriam pro membris meis sine fine obtinendam?

Quae dum auditis, quid jam dudum sentitis, obsecro, de B. FRANCKIO nostro? Mature hic didicerat; discipulos CHRISTI cum ipso *Magistro* suo ad unam eandemque metam, per viam quoque unam eandemque, vocatos & missos deduci. Joh. XX, 21. Rom. VIII, 29. Erat ex nativitate is filius Consilarii Politici in *Aula Gothana* sub Serenissimo Duce, ERNESTO PIO; quanto virorum censore, ad labores publicos idoneorum! nec decrat occasio, similiter emergendi. Antalia in prima aetate videns, ac praevidens, saturari non poterat? Veruntamen cernebat talia, ut *humana*: at Spiritu imbebatur penitus, quo Divina appetebat. Atque ut plenius statim intelligatis, quænam *Divina* posuerit in scopo Theologico, digne satis fundando ac confirmando; ecce! quid Divina sibi essent, capiebat cupide ex ore ipsius DOMINI, respondens *Petro* Matth. XVI, 23. Marc. VIII, 33. apud homines id vere *divinum* esse, si quid patiamur ob regnum Dei, seu, quod idem, ex Dei spiritu; nempe, contumeliam, injuriam, sive quodcumque fuerit, quo carni haud parcamus. Simulac vero *Noster* isthoc finis Theologici arcanum assequutus erat, tum is jam liberrimo animo exultabat, triumphabat, tanquam *victor de mundo* universo: (1. Joh. V, 4.) nam videbat, eo ipso ipsissimum victoriæ momentum se adipisci; atque ita videbat, ut *nihil amplius superesse quærendum* agnosceret. quo sensu scite exponit COCCIJUS verbum, *saturari*; præeunte CHRISTO apud Johannem c. XVI, 23. ubi SALVATOR, *in ista hora*, inquit, *Me non interrogabit quisquam*.

Sin nondum fatis percipitis, Auditores, quomodo generatim finis Theologicus vere divinus sit, paratum se gerere ad toleranda quælibet cum & in Christo: reputate modo, an hæc non sit pars *Ordinis Divini* summopere necessaria, intima *Philosophiæ* abnegatio, sive expulsio obstaculorum, quæ alioqui aditum ad opes mere divinas præcluderent! Propterea non possum, quin *apophthegma* interseram, quo B. PROFESSOR ejusdem scopi integritatem, in libellis mnemonicis, aliquando commendare est solitus, scribens: *Fasse du nichts in deine Begierde, als nur Gott; so findest du alles mit Gott*. Psalm LXX, 11, 25, 26.

Quid enim, quæso, magis obstat Deo intra nos inveniendæ ac capessendæ, quam appetitus, qui respuit patiendæ? de quo affectu & ipse DOMINUS sapius conqueritur, quod, constrictus eo qui adhuc sit, disciplina Christiana haud dignus sit. Matth. X, 38. Nec possum, quin memorandum simul hic statuam, inter prima *Franckiana* scripta publica editam esse Commentationem Germanicam brevem, de *Gratia & veritate*: quæ tractatio, ejusdem argumenti, vel sola testimonium olim perhibebat, quam sincera Spiritus mensura Autor, juvenis tum adhuc, esset instructus, & quam vere in eum caderet proverbium; *ex ungue leonem!*

Vestrum causa, Auditores! ad finis, non modo Christiani, sed etiam Theologici, recte & firmiter radicandi, necessitatem satis declarandam, unum relatu longe dignissimum addo. Prodebat *Collega* sanctissime defunctus, quam altis radicibus verus scopi istius stimulus suis in medullis defixus esset, quoties mentionem faciebat; (faciebat autem sapissime, quum excitaret in *Facultatis* confessu nonnullos) *man müsse stets gedencken, daß man sich zu demselben Amt bereite, welches DER SOHN GOTTES SELBST AUF ERDEN GEFÜHRET habe.* Quam quidem Ministerii Ecclesiastici dignitatem Vir Divinus tantopere commendabat, ut ex ipsius gestibus, oculis, totoque vultu, non sine religionis sensu, conspiceretur, quanta CHRISTUS muneris sui Prophetici majestate penes hujus Servi animam resideret; non secus atque in throno, sub quo omnes ignominiarum ac calamitatum species facillime spernerentur, conculcarentur.

Notate vobis hoc præter cætera, o Vos, qui, velut commilitones nostri, bene audire vultis; sed Theologicæ indolis radicem istam non satis solcite per Christum figitis in contemptu: qui sane ab aliis perferendus est, ut, tanquam ineuntes Christi milites, probemini. 2 Tim. II, 3. Frustra proferuntur, quæ regeritis; quasi non relinquere mini integri a fodalibus, *man könnte keinen Friede haben für andern, von welchen man verspottet und verachtet würde.* Pessime quidem illi sunt, permanentque diabolici instrumenta: Vos autem, qui organa Filii Dei esse optatis, quam diu pristina consuetudine ab iis trahi vos sinitis ad deteriora, *bonum propositum* vestrum est nullum, neque voluntas vestra *efficax* dici meretur. An non unquam audivistis, quod *generosus equus haud curet latratus canum?* Canes sunt, *canes*, docente Apocal. XXII, 15. quicumque nolunt respicere. Siquid divinitus generosi in vobis inest, si vos meliorem serio intenditis finem; cur non *regenerationis* atque *adoptionis* Divinæ, ac *spei vivæ* gustu, vos saturamini, calcantes mundi hujus contemptum despicientia sublimiore? (Philipp. II, 15. 1 Petr. I, 3. II,

1, 2, 3. - 10. III, 10. &c. IV, 1-5-14.) Vosne estis immemores, Psalmum XV, 4, 5. canere? quod is deum possideat fundamentum, ex quo *dimoveri nequeat in eternum; cujus in oculis contentus sit reprobis, dum ipse honoret eos, qui JEHOVAM timeant: wer die Gottlosen nichts achtet, sondern ehret die Gottfürchtigen.* Quos ipsos, sequente Psalmo XVI, 3. Messias nominat *sanctos suos, qui in terra sunt; & vocat eosdem Magnificos, in quibus, ait, est omne beneplacitum meum, nimirum mens interior sincere constituta.* Qualibus magnificis, (quibus ex ipsa juventute sua palmam præferebat B. FRANCKIUS) num difficile fuerit, propter fidei magnificentiam suam interiorum, & futuram gloriam æternam, aspernari insultationem malorum? præsertim quum in Psalmo de his protervis pergat Messias; *contra, qui Deum hujus mundi secutur, istorum dolores multiplicatum iri, nec se nomina eorum labiis suis pronunciatum esse: & Proverb. I, 31. comedent miserimi isti de fructu viae suae, & ex consiliis suis miserabiliter saturabuntur.* Potiora in hanc rem legantur apud Joh. ARNDTIUM de vero Christ. præcipue L. III. c. XXIII. quod his finitur: *Gleube mir, die gantze Welt kann dich nicht beleidigen, wenn du (ihr nur nicht folgest) und ohn Ungeduld und Zorn bleibest. Schweig stille, als ein Todter im Grabe, (mit Christo der Sünde abgestorben) und siehe, was dir die gantze Welt thun kann. Warlich, sie thut nichts anders, denn daß sie dir eine Krone bereitet deines Lobes bey Gott.* Hanc coronam plenissime nunc adeptus est, cujus memoriam celebramus.

Et vero cur non festinamus ocyus ad laborem ipsum considerandum; ad quem *Vir Beatus* tanta contentione, per suum illud ἀγωνισμα, & semet ipsum & alios semper inflammabat? Tribuitur CHRISTO, in Prophetico textu, labor ANIMÆ SUÆ. Etsi vero nullus fit labor sine anima, hic tamen anime Christi mentio est maxime emphatica; propterea quod spectatur in *Unione Personali*, quæ participem illam fecerat omnium Divinorum *idiomatum* per communionis gratiam; ita quidem certe, ut inde opus *mediatorium* sustinere atque exantillare posset. Concurrent igitur *finis*, ab æterno præsumtus, & *medium*, tendens ad finem, ipsumque hunc præstans, *labor anime* humanæ: non vero ut humanus labor in & per se æstimandus, sed quatenus *anime Christi*, valore infinito pollentis, labor existebat. Hoc sensu labor anime Christi fuit ipsius obedientia *activa & passiva*, qua secundum varios respectus negotium redemptorium perfecit; *dans se ipsum pro nobis, ut liberaret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων*, Tit. II, 14. h. e. populum, qui ipsius Spiritu ad similiter laborandum accenderetur. Philipp. II, 12.

Non

Non repetimus, quomodo CAPUT Ecclesiæ in membro suo, FRANCKIO nostro, animam ex suo Spiritu regenerarit, iisque repleverit charismatibus, quibus *sanctificavit ejus cor, & represserit diabolum; &* ut retineret Evangelium inter homines, foris opponeret diaboli regno confessionem hujus etiam Sancti peculiarem, atque in ejus imbecillitate declararet potentiam suam: quæ verba merito huc transfero ex *Apologia August. Confessionis* p. 95, 96. utpote quo in loco labores Apostolorum & Patrum, Davidis & infimarum quoque vocationum, ex fide oriundi, pro *veris sacrificiis* habentur, ac pro *Christi certaminibus*. Quæro saltem, unde hoc tantum judicium veritate nitatur: quia, inquam, heroum itorum, ex Evangelio *renatorum*, labores, molestiæ, victoriæ, fluxerunt e Zelo Spiritus Messiatice. Quid Psalmus XLIX. 12. de reliquis hominibus, etiam splendidissimis? *Intra se, (dicunt:) domos suas (fore) in æternum. Das ist IHR HERTZ, das sibre Heuser webren immerdar.* Hic cæterorum finis: contra quod principium, munitus superiorum illorum alto spiritu, noster FRANCKIUS totus dimicabat; intra se dicens de alio *labore anime sue in Christo*, ad confictandum pro regno colorum, & pro lucrandis animabus. Hoc *ejus cor* erat, hoc propositum unice verum Theologicum!

Quocirca, quod ESAIAS vaticinatur de CHRISTO, *qui laboravit anima sua*; id, de Ministris fidelibus si accipitur, patenter ad hos accommodandum est ita, ut eodem ad cœlestia tendente *sine*, & eadem JESU CHRISTI gratia prius animam suam instruxerint, quam laboribus Ecclesiæ dignis defungi se posse existiment. At vero, si nuda permanferit anima, atque hactali suscipiatur labor Theologicus; vanum erit institutum, neque ullus exinde *homo Dei*, seu *Timotheus*, ad sancte agendum vel patiendum quidquam juste aptus, fieri poterit. 2. Tim. III. 17.

Labor itaque primus, quem anima FRANCKII aggressa est, confitebat in precibus coram NUMINE ardentissimis; contentibus eo, ut ipsa ejus *anima, redempta* Divino sanguine, ab hostibus spiritualibus, *Satana, Mundo, & Carne*, actu ex viribus impetratis proprio, quem *applicativum* dicunt, se profusus vindicaret. Fateor, sic describi facile initium laborandi: ait, quum nequeam diffiteri, quam pauci sint, qui istis laborum Theologorum primitiis, non aliquantis per modo utantur, verum etiam sensim fruuntur, videntes in spiritu & veritate, sese exaudiri & jam saturari quodammodo; hinc cogor, cum B. FRANCKIO, monere graviter, ne tibi, o *Timothee!* assueta orandi consuetudo imponat, sed ut acriter censeatur ac dijudicetur, sitne conjuncta cum assidua carnis *crucifixione*, cum fastidio tui & *mundi odio*, cumque *vigilantia* adversus peccati ori-

gi-

ginalis motus quoslibet, infidiasque Satanae haud desinentes. Si quis noverit ab annis compluribus FRANCKIUM, meminerit, quantopere laboravit tota ipsius anima, non minus *Spiritualibus* his *vigiis*, quam habitu *precandi* plane divino. Immo, iterum iterumque arguo: quam pauci sint, qui & in orando, & in vigilando, tam constanter fideles, tam fideliter assidui reperiantur; de eo apud unumquemque tot indicia testantur, quot modis aberratur a *finis Theologici* puritate & sanctimonia. quæ tamen prudentiæ vigilantioris officio, si hoc precibus quotidie fatis acueretur, a quotidianis sæcibus liberanda ac conservanda erat.

Anima, *anima Franckiana* fuit, quæ, animata scopo, abnegationis pleno, sic laboravit in omnibus, ut ex *laboris Spiritu*, oculis fidei ac spei, cum voluptate videret fructum, & inchoato hujus gustu saturaretur. Atque hinc demum intelligitur, quod ipsi anima, *Orationis*, *Meditationis* & *Tentationis* subsidiis, reddita primum fuerit tanquam *sua*, armata CHRISTI sanguine & spiritu. Quo statu imaginis Dei instaurato, quid non ille anima hac sua elaborare, quid ea non debellare poterat? Interim opus erat nihilominus strenuo labore, haudquaquam omitiendo. Vix de primo audivistis me; sed ita comparato, ut nullo non die esset is continuandus, renovandusque: nec enim, cessante isto, ullus reliquorum conatuum sterilitatem effugisset unquam. Ob quam causam de ipsa precum ac vigiliarum assiduitate, constanter exerecenda & requirenda, FRANCKIUS sollicitus sine intermissione fuit. Neque occultam cupiebat esse hanc animæ suæ curam primariam, tum pro se, tum pro omnibus: siquidem ne externi quidem exercitii ejusmodi quidquam, vel auribus, vel oculis, quorumvis aliorum, occludi voluit; una cum Collegis atque Amicis, eandem necessitatem præ se ferentibus. Specialiores Viri inclyti ut recenscam labores, præsentis conditio temporis haud concedet nobis: attamen, *summa sequar fastigia rerum*.

Quam multa dicenda forent de studiis Theologicis, quæ in Academia Holfatorum *Kiloniensi* mecum, celeberrimo sub KORTHOLTO, & deinde *Lipſiæ* excoluit; utrobique ea methodo, quam suæ animæ, seu conscientiæ, agnovit intime consentaneam! Apud Lipsienses autem experiebat jam tum inde messem mirificam, in *edificandis* secum aliis: quam ex animæ suæ labore, per Divinam misericordiam, emanare *videns*, cum gratiarum actione erga DEUM, cætenus prima vice *saturatus est*. Cæterum anima Viri infatigabilis, quum a libi in celebriorum Academiarum cathedris dominari potuisset: tam pulchra sobrietate fuerat *sua* facta, ut ipse, ab Ecclesia *Erſurſenſi* vocatus ad Ministerium Ecclesiasticum

cum, illuc ad me rediret, laboraretque ibi stipendium in modum, non tantum docendo in Academia, & concionando in Ecclesia, sed *catechizandis* etiam pueris ac puellis, majoribus, minoribus, tanta fidelitate, ut ex labore animæ suæ conflaret sibi invidiam, certe coram Deo pulcherrimam. Quid exinde? Videns hunc fructum vice altera, anne rursus gratias Patri Luminum ageret, Divinamque gloriam prægustans, saturaretur? De quibus laboribus *Catecheticis* usurpo illud:

*Intenui labor; at, tenuis non gloria, si quem
Numina læva simunt, auditque vocatus JESUS.*

Cujus Domini nostri verba & huc pertinent notissima: *Quisquis* (ex vero sine fideliter catechizans) *humiliaverit se ipsum, is exaltabitur.* Matth. XXIII, 12. Luc. XIV, n. XVIII, 14. Primum ego id vidi in B. SPENERO, & *Francofurti*, & *Dresdæ*: quem mox sequutus est B. FRANCKIUS; eo similiter cum *exaltationis* eventu, ut hujus tertius labor publicus, *Hallensis*, in Academia atque Ecclesia, tanto uberius admirandus sit.

Videntur jam denique, his de talibus rebus, orationis velæ expandenda: sed, hora vetat. Quodsi ethnice liceret loqui, FRANCKIUS noster esset nobis Hercules dicendus, seu Orpheus: tanta is perseverantia, sub primis hic annis, laboravit in tollendis Ecclesiæ suæ impedimentis, præsertim cauponibus *Glauchensis* suburbii! & tandem obtinuit per DEI gratiam, quod *adversus* ducebatur. Utinam modo adsit, qui multiplicem nobis laborem fidei, precum ac molestiarum, possit enarrare, quo *Orphanotropæum*, & *Pædagogium*, & cætera instituta, non exstructa solum & conservata huc usque; sed eorum quoque interiora, spectantia ad Dei regnum, paulatim ac certatim (*ἀγωνιστικῆ*) in ordinem redacta sint! De laboribus Servi Dei cæteris, *invisibilibus* magis, quam *visibilibus*, non est, quod aliquid tangamus: innumeri quippe agones soli innouere Deo. Nec absunt tamen merita, quæ in sensus præsentius incurrunt. Quisnam fidei suæ labore præstitit, ut, præter orphanorum multitudinem, tot cives Academici gratias cibo sustentarentur in hunc usque diem? solus FRANCKIUS. Quis mensarum, ad quas Regiarum provinciarum Ecclesiæ omnes colligunt mittuntque pecuniam, quis earum autor? idem FRANCKIUS. Quis in partes Orbis terrarum propinquas remotasque, non ultro, verum expetitus, emisit operarios haud ineptos; atque ut posset, pro Ecclesia universi curavit, laboravit? quis alius, nisi B. FRANCKIUS? qui & scriptis suis quam plurimis, tam Latinis, quam Germanicis, id ipsum efficacis fidei propagandæ studium post fata exsequitur.

Ego


Ego vero circumspiciens diligenter, quomodo laborarint animæ *Apostolorum*, secundum mentem *Agni Dei*; en, reperio id omne in Viro nostro Apostolico. *Subegit* cum Paulo *corpus suum*; (1. Cor. IX, 27.) *docuit omnem hominem in omni sapientia, ut sibioret omnem hominem perfectum in CHRISTO JESU: in quod etiam laborabat, certans secundum efficaciam Domini, operantem in ipso in potentia.* (Col. I, 28, 29.) Cum Petro *semper dedit operam, ut post ipsius exitum in promptu maneret memoria eorum, que facienda.* (2. Petr. I, 11.) Cum Johanne *prospexit, ne perderent fideles, que essent operati; sed mercedem plenam acciperent.* (2. Joh. v. 8.) Proinde, sicut viderunt illi Gratia auxilia, & saturati sunt, *testimonium obtinentes per fidem:* (Hebr. XI, 39.) ita & *Noster* vidit ea sapientissime, & saturatus est; nunc autem videt videbitque omnia & præmia perfecte, & perfecte futurabitur.

Huc contendite & vos, Auditores! curate penitentia ac precum labore, ut valeat anima vestra Spiritu Christi, quo laboret, ex quo videat cum voluptate, ut satiretur omni bono. Sic dabitur vobis magis magisque *Christi gratia; nec tantum; ut in ipsum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini* contentum ac mala quælibet. *Idem est certamen, quod habebitis; quale vidistis in beatissimo Patre vestro FRANCKIO, & nunc auditis de ipso.* Philipp. I, 29, 30. Nimis pauca, tot inter laborandi modos, attuli de iis, qua passus est Vir Dei, utramque in partem exercitissimus. Agendine an patiendi labor copiosior & major ei obtigerit, si quis pensitet; animadvertit, lancem neque huc, neque illuc, magis vergere, at hæsitare quasi, ob molem utrinque incredibilem. Quemadmodum vero in juventute illum dignatus est PATER Cælestis, æque ac FILIUM UNIGENAM, injuriarum omni genere, ab hominibus illato; sed tamen evanescente semper, sicuti interit fumi umbra: sic in senectâ, ne plagis corporis *Primogenito* dissimilis haberetur, sub morbi doloribus vitam finit, cum ipso *Elisæo.* Rom. VIII, 29. 2. Reg. XIII, 14. Quo dierum spatium, quasi nil consummati esset assequutus, denuo, secundum præceptum DOMINI, factus est quasi infans, orando, legendo, cantando, obsecrando; ut *labore* sic patiendi, sic agendi, & videntibus, & audientibus, nihil fructuosius suggerere potuisset, victor Diaboli, mundi atque sui integerrimus, si quisquam.

Vos, *Auditores Academici!* vos e reliquis appello, vos, qui perditis agenda, quando patienda fugitis; mutare animum, si non vultis amplius insanire! Quicumque refugiant, inter CHRISTI discipulos contemni a profanis hominibus; *Spiritum Christi* non habent, ac contemnentur cum illis ipsis in æternum. Matth. V, 11, 12. Marc. VIII, 38. Luc. IX, 26. Con-

tra, qui *probris afficiuntur ob nomen Christi, quam beati sunt!* quia Spiritus glorie & Dei super eis *requiescit* hac in vita. 1. Petr. IV, 13, 14. Quid vero posthac in iudicio extremo? *Tunc stabit iustus in confidentia adversus eos, qui LABOREM ipsius reprobarunt.* Sap. V, 1. Vos idcirco, Auditores! *milites Christi* etiam estote *pulchri!* 2. Tim. II, 3. hoc est, vigiliis spiritualibus precibusque tolerantes, *et vigilate, laborate!* Labor omnia vincit in CHRISTO JESU! Ex eo videbitis, faturabimini!

Misericos Aeternae DEUS! da nobis gratiam, ut Servi Tui memoriam porro sat digne conservemus, reminiscentes, quomodo anima ejus, quae nunc in manu requiescit Tua, inter nos laboravit, quomodo viderit cum voluptate, quomodo saturata sit. Conserva TU ejus *Domum* relictam, ejusdemque *insinuta*, ut Tuae providentiae documenta, omni cum *benedictione!* Fac regimine *Spiritus Sanctissimi*, intueamur defuncti exitum ita, ut imitemur illius virtutem, & gratias Tibi cum ipso agamus, visuri illius gloriam, & saturandi cum ipso in aeternum! Exaudi nos, per & propter CHRISTUM! Amen.



Pos. 76-1904
2°

ULB Halle 3
000 388 955



K. Zigan
Buchbinder



LECTIO PARÆNETICA,
 SUPER OBITU, NUNQUAM SATIS DEPLORANDO,
B. AUG. HERMANNI
FRANCKII,

THEOLOGI DE ECCLESIA INCOM-
 PARABILITER ATQUE IMMORTALI-
 TER MERITI,

IN VERBA ESAË LIII, II.
EX LABORE ANIMÆ SUÆ VIDEBIT,
SATURABITUR.

QUAM
 IN ACADEMIA REG. FRIDERICIANA
 a. MDCCXXXVII. d. XXV. Jul.
 PUBLICE HABUIT

D. JOACH. JUSTUS BREITHAUPT, A. B.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
 LITTERIS ORPHANOTROPHEL

